

Leges...

$\frac{22}{5}$

LEGES
NOBILISSIMI
AC
AMPLISSIMI
SENATUS
RIGENSIS
DE
OFFICIIS DOCENTIUM
IN SCHOLA RIGENSI.



LITERIS GEORG. MATTH. NÖLLERÆ
M DC LXXXVI.

1696

LEGERE
NORISSIMI
AD

Cicero Lib. II. de Divinat.

Num. 4.

Quod munus Reipublicæ afferre majus
meliusve possumus, quam si docemus
atq; erudimus Juventutem? his præsertim
moribus atq; temporibus, quibus ita prolapsa
est, ut omnium opibus refrenanda atq; coër-
cenda sit.



LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
CAMBRIDGE



I.



Um omnes atq;
singuli Scholæ nostræ
Præceptores ad officium
vocandi, VENERAB.
CONSISTORIO fidem
dederint, se veram, & B. LUTHERI mi-
nisterio à Papisticis inquinamentis re-
purgatam doctrinam constanter am-
plexaturos esse, sedulo accurent, ut
hæc ipsa juventuti quoq; nostræ or-
dine, per omnes Classes, proponatur
atq; instilletur.

II. Quilibet ipsorum in id incum-
bat sedulo, ut talis esse videatur, qua-

A2

lem

lem esse vult discipulum, ut sectetur Pietatem, ut amet literarum studia & admiretur, ut exemplo excitet, ut iuuet consilio, ut singularis morum gravitas & sanctitas discipulis sit conspicua, ut nihil contra Deum, aut Magistratum, verbis aut factis, committat.

III. Omnes cum Discipulis certo tempore congressus Ecclesie publicos invisant, & quidem ad cultum divinum intenti, ad conciones audiendas attentis, toto denique animo & corpore presentes, nec profana tractent, nec sermones inter se instituant. Trinuntius Dei conspectus, Angelorum presentia, piorum congregatio, parvulorum grex tenerimus ante oculos ipsis semper obversentur.

IV. Studiose autem ibi attendant omnes, ne pueri, cum scandalo Ecclesie, indecore se gerant: non enim sola hæc RECTORIS & CON-RECTORIS cura

cura est, sed ad reliquos etiam Præceptores pertinet.

V. Sua & discipulorum suorum studia seriis Deo precibus quotidie commendent, à Numinis Divini invocatione labores Scholasticos auspiciantur: frequentes, ad colendam Pietatem, ad fugienda vitia, commotiones afferant, & his ipsis sese conformes, suis actionibus, ostendant.

VI. Inter se vivant amice, fraternè, pacificè, ut ita pueri quoque vivere à teneris assvelcant. Nulla enim admonitio ita ferit, & ad optima quæque exsulcit teneros juventutis animos, quàm vivum speculum vitæ Præceptoris ad omnem Pietatem & honestatem compositæ.

VII. Omnes & singuli ideam totius Scholæ descriptam habeant & animo suo infixam circumferant. Sciat infimæ Classis Præceptor, quid

superiorum Classium Magistris; non ignorent hi, quid illi faciendum sit, ut concatenatio laborum eò melius instituat.

VIII. Ad ostentationem nihil, ad utilitatem discipulorum referant omnia, studiosè observantes, quales habeant Discipulos, ut illorum sese captui accommodent.

IX. Ad operas & lectiones suas maturè, ante horarum momenta, accedant, nec, horà vixdum absolutà, abeant; sed adventum Successoris expectent.

X. Ad propositas sibi lectiones quascunq; præparati accedant, itemq; ad Exercitia, licet puerilia. In docendo oratione utantur continuà, nec multa aut longa silentii intervalla faciant.

XI. Pomeridianas in puncto horæ

XII. CANTOR inchoet cum CALLI-

GRAPHO: Inchoet autem hymnò & precibus. Dehinc accedat quisq; ad labores suos, in puncto tamen horæ I. finiendos, ne Successores ab insequenti opere detineantur.

XII. Crebras certò tempore Lectionum suarum repetitiones instituant, in quibus tamen discipulos non eo ordine, quo classem occupant, sed modò hos, modò illos, & quidem NOMINATIM, compellatos, interrogabunt.

XIII. In repetitionibus observent, quid quisq; suò Marte præstare possit. Non juvent eos suggestionibus: quæ in uno desiderantur, ab alio jubentur suppleri; ne, dum ignorantes diu nimis silent, frustra tempus dilabatur.

XIV. Recitantes attentè audiant: quæ rectè sunt responsa, ne repetant: errata verò lurda aure ne prætereant:

mutuas infufurrations, ne à reci-
tantibus quocunq; modo fallantur,
caveant.

XV. In primis autem in eo labo-
rent, ut discipuli quæstiones Cateche-
ticas, per omnes Classes, non solum
memoriæ mandent, verum etiam,
quod ediscunt, pro virili intelligant,
& quod intelligunt, ad usum in exer-
citiis Poenitentiae, Fidei, Invocationis,
puerilibus illis quidem, sed DEO grã-
tis, transferant.

XVI. Durante Scholâ, neminem di-
scipulorum, nisi urgente necessitate,
patiantur egredi; egressos, justò ne
diutius absint, probè notent: absen-
tium quoq; & tardè venientium ac-
curatam rationem habeant: quem in
finem Catalogus absentium adorna-
ri commodè potest.

XVII. Ipsi quoq; inter docendum
avocati, nisi causa sit fontica, ne do-
mum

num eant, aut ante fores cum avo-
cantibus diu sermocinentur. Nego-
tia privata post Scholam expediantur:
interlocutores, ut vacuo tempore re-
deant, rogentur.

XVIII. Ex Classe in Classem, nullâ
exigente necessitate, se non confe-
rant, multò minus, cum docendum
est, colloquia instituunt circularia aut
ambulatoria. Novellas quoq; &
ἀλλοτρία hujusmodi alia in Scholâ de-
clinent.

XIX. In funerum deductionibus
tempore, loco, ordine suo quisq;
præsto sit: Classis suæ discipulos, tam
in egressu, quam regressu, comitetur,
intra ordinem contineat, ad cantan-
dum impellat, ne CANTOR locum
suum deserere opus habeat.

XX. Cum ad comendationem in-
genii ac doctrinæ multum faciat ac-
curata pronuntiatio, maturè de ea-
dem

dem moneant discipulos: ideo, ut
exemplô commodè juventur, Præ-
ceptores ipsi ad gravem, tardam &
distinctam pronunciationem sese af-
fuefaciant.

XXI. Ad usum Latinæ lingvæ
Discipulos diligenter adducant, nec,
nisi Latino idiomate, non modo
cum profectionibus loquantur, sed
minores quoq; ad breves latinè lo-
quendi formulas manuducant.

XXII. Discipulorum querelis &
desideriis faciles aures accommo-
dent; neminem superciliosè repel-
lant: omne studium potius adhi-
beant, ut ex hilari eorum vultu &
aperta fronte humanitas & paternus
affectus eluceat.

XXIII. Semper autem disciplinæ
servandæ curam habeant: improbi-
tatem omnem & petulantiam, quan-
tum omnino poterunt, coerceant;

nunc

nunc ipsâ improbitatis infamiâ &
turpitudine, ad honestatis amorem in-
genia liberalia instigent: nunc plaga-
rum acerbitate, quasi frenis quibus-
dam, ferociore in officio conti-
neant.

XXIV. Meminerint tamen, quo-
ties in delinquentes est animadver-
tendum, Parentum se vicem gerere,
invitos ad severitatem hanc venire:
invidiæ, iracundiæ, vindictæ, cupidita-
ti, convitiisq; & maledictis quibus-
cunq; ne indulgeant.

XXV. Pueros, finitis operis & præ-
cibus, domum reversuros, de præ-
standa in publico modestia, naviter
hortentur.

XXVI. Licet in quascunq; Classes,
præter suam, nihil sibi usurpent im-
perii Collegæ; CANTORIS tamen est,
ad Musicam in Scholâ & in Templo
exercendam omnes illius gnaros ad-

igere,

igere, & si frustra officii admonuerit,
pœnis coërcere.

XXVII. RECTORIS officium ipso
nomine designatur. Hic igitur Colle-
gis suis rerum gerendarum Dux &
Autor, Legum præscriptarum Custos
fit industrius, Observator strenuus.
Lectioes manè inchoet, vel peri-
fi-
niat; sed & pomeridianas, ut maturè
repetantur, curet.

XXVIII. Classes obeat quotidie,
& ut Docentes pariter ac discen-
tes officio ritè fungantur, provi-
deat.

XXIX. Ipse Scholares novitios
exploret, introductis locum assignet,
& Regulas exhibeat Scholasticas. Ipsi
præmium pro inscriptione debetur
ordinariè; quod tamen, ex Parentum
aut eorum, qui novitios adducunt,
liberalitate Collegis quoque dari po-
test.

XXX.

XXX. Ad S. Synaxin accessuros
RECTOR informet; legendis hyema-
li tempore Concionibus in Schola
non tantum interfit, sed quoque à
trium priorum Classium discipulis
repetat: quod ipsum in Petrino Tem-
plo à CON-RECTORE fiat. Alio autem
tempore auditæ in templo Con-
cionis examen, cum iisdem, die lunæ,
initio lectionis, à Docente breviter in-
stituatur.

XXXI. Ferias ordinarias conce-
dat RECTOR, ita tamen, ut Festales
ultra biduum; Bacchanales, Johan-
niticas, Caniculares, Martinales, ultra
quatrimum singulas non extendat.
Extraordinaria feriarum concessio
Dni. INSPECTORIS est.

XXXII. Collegas fraternè amet &
concordiam cum iis colat. Si quis
autem eorum, vel ex incuria, vel ex in-
scitia peccaverit, eum solum primò
solus

solus ad mentem saniozem revocet ;
tum, minus obsequentem, in Collega-
rum quorundam presentia, amice &
graviter admoneat ; deniq; obstina-
tum INSPECTORI indicet, &, ne quid
Schola detrimenti capiat, sedulo ca-
veat.

XXXIII. In Pædagogos clancula-
rios diligenter inquirat, &, ne da-
mnum Scholæ afferant, Superiorum
auxilium imploret.

XXXIV. Calefactorem, consensu
Dni. INSPECTORIS TEMPLI CATHE-
DRALIS constitutum, regat : ædificia
Scholastica subinde inspiciat, ut, si
opus sit, maturè reparentur. De li-
gno Scholæ prospiciat, ne per hye-
mem pueri frigore afficiantur. Cujus
gratiâ singuli quotannis medium tha-
lerum solvent.

XXXV. RECTORI, in ratione insti-
tutionis & negotiis ad Scholam per-
ci-

9
tinentibus aliis, Collegæ omnes debi-
tam præsent observantiam : CON-
RECTOR, absente RECTORE, diligen-
ter vices ejus tubeat, & aliàs, si quid
perperam in Schola fieri intellexerit,
de eo RECTOREM statim bonâ fide
moneat.

XXXVI. Si quis, ob legale impedi-
mentum operas suas adire non po-
terit, RECTORI id ipsum significet,
hic alium in vacuo munere consti-
tuat : nulli autem eorum, qui liberas
interea horas habent, denegare hîc
operam suam liberum erit.

XXXVII. Causâ RECTORI, &, si
absentia diuturnior fuerit, INSPECTO-
RI non probatâ, peregre ne quis pro-
ficiatur.

XXXVIII. Sicubi publicè pera-
gantur supplicia, nemo Classis suæ
Discipulos, in sciò RECTORE, dimittat,
RECTORIS isthoc est officium, qui
pu-

739621

pueros ab hujusmodi Spectaculis
detinere magis, quam ad ea ablegare
studebit.

XXXIX. In Privatorum institu-
tione Consilio RECTORIS, Collegæ
omnia faciant: Insciò hòc neminem,
præsertim alienum à Schola nostra, e-
rudiendum suscipiant.

XL. Has Leges ratas esse volumus,
& cum augendi minuendiq; eas li-
bertate, debitam in violatores pœnam
nobis reservamus.

IN QVORUM OMNIUM FIDEM MAJOREM
LEGES HÆ SIGILLO CIVITATIS MAJORI RO-
BORATÆ SUNT.



Publicat. d. XIV. Octobr. Anno
M.DC.LXXXI.

50
LU Akad. bibl.



814015324